



S Pirminius ex regio Francorum sanguine natus, foelicissima indole erat praeditus. Itaque literis incumbens in uirum doctissimum euasit, atque homines in uera pietate instituit. Is passim per Alfatiam & Alemanniam circumiens, ex paternis amplissimis bonis aliquot monasteria aedificauit, & eas scholas iuuentutis, atque piorum hominum habitationes constituit. Inter alia fundauit monasterium Maioris Augiae in insula lacus Podmici, atque Caroli Martelli auxilio id magnis redditibus & priuilegijs exornauit. Cum autem eo in loco omnia serpentibus & feris referta essent, ipse ardenti oratione impetrauit, ut ea omnia facile abigerentur, aut more-

retur. Vnde etiam posteris temporibus nihil eiusmodi amplius uisum. Quod si etiam aliunde inferantur, statim intereunt. In eo loco Pirminius primum Abbatem non sine opinione sanctitatis egit, atque fratres eius loci sua eruditione & pietate ad uirtutes incitauit, anno 730. Cum autem eo tempore Murbacense monasterium a duce Eberhardo fundatum esset, ipse eò uocatus, templum dedicauit, atque omnia in ordinem redegit. Aliqui etiam eum Episcopum Mentensem electum dicunt.